Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 217
Quelle:
Copyright:

bula de ſapiente Epiſcopo regiones perambulante et ad *Adrianum* Imp. miſſo, ad cujus varia potiſſimum de Mundi creatione quaeſita reſpondit. Ultimum *Adriani* quaeſitum de *Antichriſto* eſt. *Commentaria* porro incipiunt: *Circa initium pſalmorum eſt monſtrandum quod titulus huius libri ſit talis. Incipit liber ympnorum uel ſoliloquiorum dauid prophete de chriſto. liber dicit et non libri contra iſtos qui dicebant plures eſſe libros* &c. Ad calcem: *Explicit Anno Domini* MCCCCXXIX.

CXLIV.

U. 129 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 112. f. nitide, ſed minutius exaratus inſcribitur: *Pulcherrima Poſtilla ſuper primum Nocturnum cum bona tabula in fine.* et plenius ad calcem Operis: *Explicit lectura Magiſtri thome anglici ſuper primum nocturnum pſalterij.* Primum Nocturnum priores XXV. *Pſalmos* intellige. Totum igitur *Pſalterium* in VI. *Nocturnos* dividebatur, qui uſus ad v. *Nocturnus* in *Ducangii Gloſſario* non adnotatur. *Probemium* Operis nobis ita inchoat: *Beatus qui cuſtodit verba prophetie libri huius. Apoc. 22. Criſoſtomus ſuper Math. in prefacione dicit ſic. Quemadmodum non prodeſt cibus* &c. Expoſitio ipſa: *Beatus vir &c. Pſalmiſta in principio ſui libri pulcherrime et rationabiliter ponit ante omnia beatitudinem* &c. Definit Opus: *Igitur ſit nomen domini benedictum ex hoc nunc et usque in ſeculum.* Haberes itaque *Commentarium ſuper Pſalmos F. Thomae Jorgii* (Jorſii, Jorzii, ſive Joyce) *Anglici Ord. Præd. S. R. E. Card. et Ep. Sabin.* cura F. *Sixti Lamberti Lucenſ.* O. P. *Romae* recognitum, et impreſſum *Venetiis* anno 1611. f. cui Editioni *Codex* noſter conſonat, niſi plures per Bibliothecas diſperſi *Codices* autorem praefigerent F. *Thomam Gualleſem*, ſeu *Walleis*, itidem *Anglicum*, itidem *Dominicanum*, et aetate *Jorzio*, qui a. 1310. obiit, non multo poſteriorem. Inde dubium, quod nec ipſi Ordinis *Bibliothecarii* ſolvere potuere, ut vides T. I. p. 509. et 598. Nos ultra priores XXV. *Pſalmos* nihil habemus. Editio *Veneta Nocturnum* II. addit, ſed non integrum; definit enim cum *Pſalmo* 37. An etiam Autor hic ſtiterit, incertum. Interim hoc quoque confuſionem induxit, dum Bibliographi alii *Thomam* in XXV. alii in XXVII. alii in XXXVII. *Pſalmos* commentatum fuiſſe adſerunt, ut liquebit conferenti *Caveum Vol.* II. p. 11. et 32. *Oudinum* T. III. p. 683. et 906. *Lelongium* T. I. p. 988. *Tannerum Bibl. Brit. Hib.* p. 749. quorum etiam aliae mendae ex hic dictis corrigi poſſunt. *Codex* noſter cum notulis marginum, tum amplo Indice diligenter inſtructus eſt.

CXLV.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 191
Folior. 343. 4. currente calamo a diverſis conſcriptus, et, ut frons prae-